C. Bartholin

De natŭra theologiæ


1627.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

1,–3.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00001 3

+REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

Exercitatio

DE NATURA THEOLOGIÆ,

PUBLICE IN ACAD. REGIA HAFNIENSI
Piè Doctis 5. 7bris propoſita

PRAESIDE

CASP. BARTHOLINO, S. S. Th.
D. & Profeſſ. Ordinario.

RESPONDENTE

M. JOHANNE JOHANNIS,
Hafnienſi.

HAFNIÆ,
Ex Calcographia Sartoriana,
ANNO ∞ Iↄc XXVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

THEOLOGIA eſt Sapientia myſteriorum regiminis Dei cæleſtis per Spiritum ſanctum in verbo revelatorum, homines inſtruens, ut æternùm vivant. Definitio

2. Loco definiti, vocis ἀγράφου, niſi quod concretum inſcriptio Apocalypſeos offerat, alias doctrinâ fæcundiores ſacræ literæ exhibent. In his n. appellatur διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν. 1. Tim. 6, 3. ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν. Tit. 1, 1. ἐπίγνωσις τοῦ θεοῦ. Coloſſ. 1, 10. 2. Pet. 1, 2. & χριστοῦ. Epheſ. 4, 13. 2 Pet. 1, 8. μυστηρίου τοῦ θεοῦ. Coloſſ. 2, 3. Alibi ſimpliciter γνῶσις. ut Rom. 15, 14. 1. Cor. 13, 2 & 8. Etjam φρόνησις. Epheſ. 1, 8. μυστήριον θελήματος τοῦ θεοῦ. v. 9. ἀποκάλυψις μυστηρίου. Rom. 16, 25. Item σοφία, Luc. 2, 40. σοφία θεοῦ. 1. Corint. 1, 21 & 24. Eaq; in myſterio occultata. 1. Cor. 2, 7. σοφία & σύνεσις πνευματική. Col. 1, 9. σοφία ἄνωθεν κατερχομένη. Jac. 3, 15 & 17. Definiti Synonyma.

3. Etymon ſi accedamus, Theologia nomen habere poteſt. 1. quòd ſit ipſius Dei ſermo proprius, nemini cognitus niſi ipſi, qui vel qualis ſit: ſicuti Paulus verba à ſe in tertium cælum rapto audita, vocat ῥήματα ἄῤῥητα. 2. Cor. 12, 4. 2. quòd ſit ſermo de Deo. 3. quòd proponat λόγια τοῦ θεοῦ, ſitq; ſapientia eloquiorum Dei. Rom. 3, 2. Hebr. 5, 12. 1. Petr. 4, 11. Quæ notatio inſtituto noſtro comprimis convenit. Etymologia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

Genus. 4. *Generis loco eſſe poteſt & ſapientia & ſcientia & prudentia, & agnitio, & doctrina & quomodocunq; à Spiritu Dei inſignitur; voculis tamen illis Ariſtotelico ſenſu minimè acceptis. Ex habitibus enim quinq; intellectualibus Ariſt. 6. Ethic. Nichom. verum Theologiæ genus depromere velle, ἀθεόλογον eſt, & riſu potiùs quàm refutatione dignum.*

5. *Adeò enim toto genere diſſident Habitus Philoſophici & Theologia, ut neq; principiis, neq; finibus, neq; objectis conveniant. Unde factum, ut Ariſtoteles doctrinæ cæleſtis ignarus, dictis eam habitibus neq; explicitè neq; implicitè, uti loquũtur, includere potuerit.*

6. *Quamobrem otioſe Dd. inprimis Scholaſtici terminis Philoſophicis faſcinati de genere Theologiæ contenderunt: An ſpeculativa ſit, ut Boëtio placuit, an practica, ut Scoto, Alb. M. Richardo, Ariminenſi, & Arminio; an mixta, ut Thomæ Aquinati, Bonaventuræ, Hervæo, Capreolo, Caietano & Alſtedio; an effectiva, ut Durando. Pro genere proximo ſcientiam arripiunt Thomas, Bonaventura, Gandavenſis, Caietanus & Capreolus; quod tamen negant Durandus, Ariminenſis, Occam, Hervæus, Marſilius: Sapientiam Scotus, Gregorius de Valentia, Junius, Trelcatius, Polanus: Prudentiam Keckermannus: alii ſapientiam & prudentiam ſimul, alii agnitionem, alii doctrinam, alii habitum divinitùs infuſum, &c.*

Suf-

6. *Sufficere potuiſſent & debuiſſent ſacratiſſima Monumenta; in quibus appellatur & ſapientia, Luc. 2, 40. 1. Cor. 1. 2 & 24. 1. Cor. 2, 7. Coloſſ. 1. 9 & 2, 3. Jac. 3, 15 & 17. & Prudentia, Proverb. 1, 2 & 3. & 11. & cap. 2, 6. & c. 4, 1 & 5. Pſ. 119, 104. Lu. 2, 47. & cap. 16, 8. & Scientia, Job. 3, 11. Rom. 15, 14. 1. Cor. 13, 2 & 8. & paſſim alibi. & Doctrina, Deut. 32, 2. Proverb. 8, 10. Jerem. 3, 15. Johan. 7, 16 & 17. 1. Tim. 6, 3. Et agnitio vel cognitio. Epheſ. 4, 13. Tit. 1, 1. 2. Petr. 1, 2 & 8.*

7. *Adeò ſublimis eſt atq; eminens cæleſtis ſapientia, ut omnem humanam tranſcendenti, nullum ſatis conveniens nomen ex humanis ſcientiis depromtum competat.*

8. *Objectum Theologiæ annotatum eſt ab Apoſtolo, 1. Corinth. 2, 9 & 11. quæ oculus non vidit & auris non audivit, & in cor hominis non aſcenderunt, (id eſt, res ſenſibus & rationi incognitæ) ſed quæ vel quatenus Deus nobis revelavit per Spiritum ſuum.* Objectum.

9. *Quamvis enim in doctrina ſacra quædam occurrant ſenſibus ac rationi obvia, attendendum tamen homini pio; quædam quæ rationi videntur pervia, non carere myſteriis: quædam hiſce faciliùs percipiendis inſervire: quædam aliàs inibi non niſi ex accidenti inculcari.*

10. *Itaq; per objectum à D. Paulo deſcriptum in-*

ter-

terſtinguitur Theologia, 1. à Sapientia hujus ſæculi. 2. à rerum ſacrarum ſcientia primo homini non revelata ſed concreata. 3. à Theologiâ ἀρχετύπῳ quæ infinita & infinities plura atq; perfectiora comprehendit, quàm revelata. 4. A ſcientiis revelatis quidem, ſed non à ſpiritu ſancto.

11. Verâ ſententiâ ſtabilitâ, in proclivi fuerit, aliorum vel diſſonas refutare, quod alibi à nobis factum, vel affines in meliorem partem interpretari. Sicut enim de genere Theologiæ, ita & de objecto diſſentientium Autorum eſt varietas.

12. Occam & Gabriel unum aliquod adæquatum ſubjectum non conſtituunt, ſed tot, quot ſunt res, de quibus aliqua Theologicè concluduntur. Aquinati objectum eſt Deus, ut Deus, & alibi, quà per revelationem poteſt cognoſci. Cui conſentit Gregorius Valentianus. Ariminenſi, Deus ut glorificator ſeu remunerator. Bonaventuræ, Deus radicaliter, Chriſtus integraliter, credibile univerſaliter. Durãdo, Deus ut eſt ſalvator, ſi ſumatur Theologia pro habitu defenſivo fidei; actus vero meritorius vel ordinabilis ad ſalutem, ſi Theologia ſumatur ſimpliciter pro habitu fidei. Trelcatio & Stampelio, Deus & res divinæ. Caſſiodoro, Chriſtus & Eccleſia. Hugoni Victorino, opera reparationis humanæ, vel myſterium redemtionis. Lombardo ſigna & res. Arminio officium & actio hominis, quam Deo præſtare tenetur. Aliis:

Deus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

Deus, Angelus & homo. Aliis primarium & contemplationis, Deus glorificandus; ſecundarium & operationis, homo beandus. Aliis Religio vera & Chriſtiana, quatenus ad ſalutem per eam promovemur.

13. *Hactenus de objecto. Subjectum attendendum, vel inhæſionis, ut ſcholarum utamur terminis, vel operationis. Illud vocant, in quo reperitur ſcientia Theologica: ſuntq; Theologi, quotquot vixerunt ab Adamo per ætates ſingulas usq; ad præſens ſeculum. Hoc, eſt homo lapſus capiti ſuo Chriſto reſtituendus: eſtq; vel tyro, initiatus, ſeu* νεόφυτος; *vel perfectior. Theologia pro perfectioribus comparatur cibo ſolido & eſcæ. 1. Cor. 3, 2. Heb. 5, 12, 13 & 14. pro tyronibus, comparatur lacti, ibidem, Unde illi infantes dicuntur, & qui doceri debent* ςοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ: *quam Theologiam idcircò alii vocarunt Catecheticam.* Subjectum.

14. *Materiâ tam in quâ, quàm circa qam, expeditâ, Formam aggredimur, quæ ſecus quàm in diſciplinis profanis Methodus, huic doctrinæ eſſentialis eſt: dum forma ſuâ docet, & ipsâ doctrina format. Omni enim indole comparata eſſe debet κατ᾽ εὐσέβειαν, ut in ipſa ſubſtantia omnibus ex partibus habitâ,* τύπον *referat, in quem diſcentes, eo ipſo quo diſcunt, transfundi poſſint & transformari. Confer locos, Epheſ. 4, 16. & Coloſſ. 2, 19.* Forma.

For-

15. Forma ergo & Methodus hîc genuina eſt, quã exhibet λόγων Spiritus ſancti peculiari ad διδαξιν ejusdem proprietate & potentiâ comparatorum inter ſe commiſſa connexio & concinnitas, atq; eorundem ὑποτύπωσις ad propriam eorum & primigeniam conformitatem ac continuitatem exſurgens; ſicut eam conceptis verbis præſcripſerunt, qui primi ex ore Dei eam promulgarunt.

16. Aliena autem forma in docendo introducitur, quando à pietate dicta non fit initiũ, progreſſus & conſummatio. Cum vera hæc ſit forma, quâ Deus nos vult doctrinam cæleſtem doceri, quomodo videlicet Deus nos verè pios vel εὐσεβεῖς formari conſtituit, κατὰ τὸ εὖ σεβάσεως ſibi acceptum & probatum.

17. Hinc initio Epiſtolæ ad Titum, teſtatur Apoſtolus, ſcientiam veritatis, quam annunciare miſſus erat, eſſe κατ' εὐσέβειαν, atq; miſſum eſſe ſecundùm ejusmodi veritatem, & fidem electorum Dei, hoc eſt, in docendo adſtrictum eſſe ad eam formam, quâ pietas in ſe formata.

18. Hinc doctrinæ huic ita efformatæ typum ſuum peculiarem eſſe annotat Dei Spiritus, in quem tradi & dedi oportet, quotquot eidem ex corde obediunt. Rõ.6,17. ut nõ ſufficiat eundẽ ſicut in aliis diſciplinis tradi & exponi; ſed nos in eundem ex dictionum ſalubrium Jeſu Chriſti ad pietatis indolem conformatâ ὑποτυπώσει exſurgentem, tradendos & fundendos,

dos, reformandos & transformandos; alioquin non verè hunc doctrinæ typum doceri: idq; non tam ut docti & diſputatores, quàm fuſiles, & typo doctrinæ conformes evadamus, eundem mente cordis noſtri animo atq; affectu repreſentaturi.

19. Conformationem & transformationem hanc expreſsit eleganter Eraſmus Roterodamus, de ratione perveniendi ad veram Theologiam fol. 7. b. dicens: Hic primus & unicus tibi ſit ſcopus, hoc votum, hoc unum age, ut muteris, ut rapiaris, ut adfleris & transformeris in ea quæ diſcis. Animi cibus eſt ita demum utilis, non ſi in memoria ſeu ſtomacho ſubſidat, ſed ſi in ipſos adfectus & in ipſa mentis viſcera trajiciatur. Ita demũ tibi videare profeciſſe, non ſi diſputes acriùs, ſed ſi te ſenſeris paullatim alterum fieri, minùs elatum, minùs iracundum, minùs pecuniarum, aut voluptatum, aut vitæ cupidum: ſi quotidie vitiis decedat aliquid, aliquid accreſcat pietati. Et fol. 79. b. Satis invictus fueris Theologus, ſi nulli ſuccumbas vitio, nullis cedas cupiditatibus, etjamſi à contentioſa diſputatione diſceſſeris inferior. Abundè magnus Doctor eſt, qui purè docet Chriſtum &c. Hæc ille rectiſsimè: & ex ſacris fundamentis.

20. Etenim Doctrinæ typus apud Apoſtolum l. d. ita dicitur, non equidem primariò ob doctrinas ad hanc efformandas, ſed reſpectu παραδόσεως, vel pro

auditoribus atq; diſcentibus in ea doctrina fundandis, transfundendis & efformandis. Quamobrem Romanos laudans, qui obſecundarint τύπῳ τῆς διδαχῆς, non utiq; ob doctrinæ Methodum eos commendat; ſed quod doctrinæ formam, ſicut in eam eo nomine conformatam immiſſi & fundati, ita fideli obſequio vitâ & moribus retulerint ac repræſentarint.

Finis. 21. FINIS Theologiæ communis, ſicut omnium diſciplinarum, immò & actionum, eſt GLORIA DEI, Rom. 15, 6. 1 Cor. 10, 31. Proprius vel eſt externus vel internus. Externus & ultimus eſt vita æterna vel æternùm vivere: id eſt, vita illa ſalutaris, & ſalus vitalis, quâ ſolâ in ipſo Deo ipſi æternùm vivi generamur, ipſiq; adeò æternùm vivimus; quam Deus plenitudine regiminis ſui intra nos ſuper cæleſtis οἰκονομεῖ. Dicitur & ſalus animarum, & ſalus ſimpliciter, Luc. 1, 77. 2. Tim. 3, 15. 1. Pet. 1, 9.

22. Non diſſentiunt à nobis, qui finem conſtituunt vel hominis beatitatem æternam, vel ſalutis æternæ adeptionem, vel Dei viſionem. Vita enim vera illa vel ſalus verſatur & conſummatur in intima Dei intra nos in Deo filio viſione; dum intra nos apparentiæ primigeniæ ac veræ gloria illa reformatur, quâ Deus intra nos in Chriſto Jeſu videatur & appareat.

23. Quamobrem verè, Deo & æternùm vivere eſt, ipſiſſima Dei viſio & ἐπίγνωσις: quã in Chriſto icone novo modo nobis à Deo facto & denuò inhabitatã in-

tro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

troducto, Heb.1,6. videmus, quando ei aſsimilamur; & tantò magis, quãtò magis ei aſsimilamur, Deumq́; vita noſtrâ quàm ſimilimè referimus: tum n. Deus in nobis veluti imaginis ſuæ vivâ luce ſplendidiſsimè relucet; cujus adeò jucundiſsimo intra nos adſpectu atq; intuitu intimè conjuncti perpetuò fruimur.

24. Atq; hoc eſt videre Deum, adeoq́; verè vivere; lucem videlicet ipſum Deum relucere intra videntem; vel quando facies noſtra ita perficitur, ut in illa reluceat ipſum lumen faciei Dei, ſimilitudine quadam: quod quidem conſummatè non fit, priusquam mortalitas abſorbeatur à vita.

25. Hoc eſt trãsformari ſpeculando faciẽ Chriſti apparatã, 2.Cor.3, ult. Cùm ad aliud ſpeculũ ſi quis ſe intuetur, abiẽs obliviſcatur, qualis fuerit, Jac.1,23 & 24.

36. Ita relucet Deus intra animos & corda noſtra, non immediatè, ſicut ante lapſum; ſed λύχνῳ λόγου προφητικοῦ *tamquam medio: atq; novâ regiminis cœleſtis ratione nunc in* ἀνακαιφαλαιώσει *per nuncios eſt accerſendum; quod in* καιφαλαιώσει *intrinſecus adfuit ſine extraneo illuminationis adminiculo, quãdo Deus in hominis conditi eſſentiali luce concreatâ relucebat, tamquam ſimilitudine conformi; quæ lux haut quaquam erat ſuperficiaria aut ſæcularis; ſed erat vita hominis, primusq́; homo tum* ἔνεικος, ἔνθεος, *adeoq́;* εὐδόκημος *&* ἔννομος: *poſt lapſum autem lux illa interiit, & homo morte mortuus, adeoquè*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

ἄεικος atq; ἄνομος factus, reſtituendus deinde luci & vitæ in æterno filio (in quo prima vita data) peculiariter ad id nobis apparato.

27. Finis internus, eſt ſcire & ſapere Jeſum Chriſtum, quomodo regimẽ illud ſupercæleſte Dei, quo vitâ æternâ illâ nos ſalvet, intra nos in ſeipſo ſuſtentet.

28. Quod ut ſapiamus, duplex requiritur officiũ. 1. tradere & explicare ὑποτύπωσιν verborum ſanantium locuturis de aliquo myſterio. 2. Tim. 1, 13. Unde & 1. Cor. 2, Sapientiæ cæleſtis indolem monſtraturus Dei Spiritus non rerum tantùm ſed etiam verborum meminit. 2. Eosdem λόγους in doctrinæ, quæ ſecundũ pietatem eſt, nativũ typum ὑποτυποῦν genuino ordine ac nexu, id eſt, tradere typum doctrinæ, quæ ſecundùm pietatem eſt. Rom. 6, 17. non tantùm ad quem tamquã canonẽ exigendum religionis negotiũ; ſed etiam, & vel maximè, in quem Auditores fundendi ſunt & fundandi, tradendi & transformandi; ut fuſiles & conformes typo huic evadamus, ſicut cera typo infuſa formam ejus refert: quemadmodum ſuperiùs inculcatum.

29. Utriq; officio quomodò ſatisfaciendum, edocemur, 1. Tim. 6, 3. nempe ad vitandam quamvis ἑτεροδιδασκαλίαν, remedium tutiſſimum eſſe, accedere ſanis ſermonibꝰ Domini noſtri JeſuChriſti (quod aliis verbis, 2. Pet. 1, 19. dicitur λόγῳ προφητικῷ προσέχειν) & ei quæ ſecundũ pietatem eſt doctrinæ: adeò

ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

ut ἑτεροδιδασκαλεῖν ſit, non accedere vel ſe non adhibere, 1. verbis ſalubribus. 2. doctrinæ quæ ſecundum pietatem.

30. Speramus ita & breviter & ſufficienter definitionis partes explicatas, ſi principium Theologiæ, verbum Dei excipias, de quo alibi. Agit enim Deus nobiſcum non ἐνθουσιαστικῶς ἢ ἀμέσως, verùm ὀργανικῶς καὶ ἐμμέσως. Luc. 11, 28. Joh. 8. v. 30, 31 & 51. Rom. 1, 16. 1. Corinth. 1. 18. Quod contra agmina Svencfeldianorum, Anabaptiſtarum & nonnullorum Cinglianorum monendum.

31. Diviſionem quod attinet S.S. Theologiæ; commodam ſatis arbitramur quæ in 2 capita fit, ut prima pars de Deo agat, altera de ejusdẽ regimine intra nos ſupercæleſti; ſub qua continerī poteſt, tertiã ſi quis cōſtituere volet, de diverſis regiminis oportunitatibꝰ.

32. Fundamenta hujus partitionis ſacra pagina oſtẽtat, quoties compendioſè ſumma & indoles totius ſapientiæ cæleſtis notanda venit, ut exempla reperire licet paſſim in concordantiis ad vocem regni. Unicum adferamus exemplum Eſa 52, 7. ubi Propheta Sionem ſeu populũ Dei afflictum & mendacibus impoſtorum ſacerdotum opinionibus dementatum, ſpe veræ doctrinæ effulſuræ conſolaturus, ejus præcones quaſi unum formâ ſpecioſiſſimâ introducit, venientes, euangelizantes, pacem, bonum, ſalutem nunciantes; mox omnium denunciatione illa Evangelicâ Sioni di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

cendorum ſummam his verbis contrahit: Regnat Deus tuus. *Hanc ſummam inculcarunt: Joh. Baptiſta Matth.3,2. Chriſtus Luc.4,43. Matth.4,17 & 9,35. Marc.1,14 & 15. Luc.8,1. Act.1,3. qui ad hoc etiam emiſit Apoſtolos & diſcipulos. Matt.10,5 & 7. Luc.9,2. & 10,1,9 & 11. Philippus Act.8,12. Paulus Act.19,8. & cap. 20,25, 27. & c.18, 23 & 31. &c.*

33. Ex allatis fieri poteſt judicium de aliorum in dividenda Theologia opinionibus; ex quibus viginti recitabimus. Partes n. Theologiæ conſtituunt. 1. Ignatius duas: Fidem in Deum & dilectionē in proximum: quò accedit Glaſſius in Philologia ſacra duas partes inculcans: Fidem, cujus capita in Symbolo Apoſtòlico, & charitatem, cujus ſumma in decalogo, ex 2. Tim.1,13 2. Scholaſtici totidem: ſpeculativam & practicā. 3. Flacius totidem: de Deo & Dei voluntate. 4. Idem alibi: de Creatore & Creatura. 5. Adamus Franciſci & Urſinus duas: Legem & Evangelium. 6. Echardus duas: de Dei attributis & operibus 7. Jac. Mart. duas: Verbū Dei & Deū, atq; Deum vel in ſe vel reſpectivè ad creaturas. 8. Himmelius duas: Præcognita & ſyſtema ipſum. Hoc v. vel de principio cognoſcendi, ſcripturâ ſacrâ; vel eſſendi, & aut abſolutè in ſe aut relatè ad creaturas. 9. Trelcatius duas: Principia & partes: Principiū vel cognoſcendi, ſcripturam; vel eſſendi, Deum. Partem, primam de cauſſis, alterā de ſubjectis ſalutis. 10. Jeremias Nicolai totidem: Theoriā & con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

verſionē. 11. Sohnius totidē: de Deo & divinis operibus. 12. Polan9, de fide & bonis operib9. 13. Keckerm. de morbo & remediis. 14. Haffenreff. tres: de DEO, Angelis & Homine. 15. Thomas & Thomiſtæ tres: de DEO in ſe; de DEO ut eſt finis ultimus, & de DEO ut eſt redemtor noſter. 16. Hemmingius quatuor: de doctrina promiſſionū; de doctrina communi vitæ, de Regimine Eccleſiæ, de politica & Oeconomica. 17. Stampelius 4. de DEO; Angelis, Homine, & reliquis creaturis ex Bibliis cognoſcendis, quib9 præmittit principia. 18. Alſtedi9 ſex: Theologiam naturalem, Catecheticam, didacticam, caſuum conſcientiæ, propheticam & Acroamaticā. In compendio Theologico easdem ita appellat: Uſum libri naturæ, capita catechetica, locos communes ſacros, caſus conſcientiæ, officium Paſtoris Eccleſiæ, & officium Auditoris. 19. Sutlivius octo: de verbo DEI, de DEO ipſo, de creatione & creaturis, de Eccleſia, de Lege de Evang. de ſacramentis, de extremo judicio. 20. Balthaſar Meiſn. octo. 1. στοιχειολογικὴν, de principio, videlicet verbo DEI. 2. εὐλαβειολογικὴν, de objecto Theologiæ, Religione. 3. εὐδαιμονολογικὴν, de DEO & beatâ DEI fruitione. 4. παθολογικὴν, de hominis miſeria & corruptione ſpirituali. 5. θεραπευτικὴν, de remediis miſeriæ. 6. ὑγιεινὴν particularem, de juſtificatorum requiſitis poſt juſtificationē vel ſanationē ſpiritualem. 7 ὑγιεινὴν univerſalē, de Eccleſia, hæreſibus, Conciliis & tota hiſtoria Eccleſiaſtica. 8.

εὐδαι-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1

εὐδαιμονολογικὴν, de finis executione, hominis morte, ſtatu poſt mortem, reſurrectione, extremo judicio, vita æterna in cælo, & morte æterna in inferno. Hanc tamen partitionem ſubjicit Autor (uti erat modeſtiſsimi & mitiſsimi ingenii vir) non putandam omnibus numeris abſolutam.

Corollaria.

I.

An liceat in ſacro ſtudio, aliis uti vocibus ac phraſibus quam quæ αὐτολεξεὶ, ſeu totidem literis & ſyllabis in S. literis reperiuntur? A. Cum diſtinctione.

II.

An in diſciplinis rerum ſæcularium ſeu Philoſophicis ſtatuere Philoſophus quidquam erroneum poſsit citra peccatum & numinis divini læſionem? N.

III.

An Ethnicorum aliorumq; infidelium Virtutes operibus carnis ſint accenſendæ?

Omninò.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00001 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 1